

fit? Deinde in quos hominum cadat, vel cadere nequeat? Deniq; , quod sit discrimen inter peccata fidelium, & peccantium in Spiritum, unâ cum Paranesi & solutione locorum in speciem contrariorum. Dominus Jesus, qui vita, veritas & vita est, suo Spiritu nobis adlit, nostroq; instituto benedicat.

## XV.

Afferimus igitur, peccatû, sive blasphemiam in Spiritum Sanctum esse *ἡσυχία*, sive Prolapsum ( verbo enim prolabendi expressè utitur Apostolus. Hebr. 6. 6. ) non iam contra Legem propriè commissum: sed adversus Evangelium, hoc est, fidei Christianæ doctrinam, miraculis iam olim confirmatam, nempe quoad fidei ejus fundamentum adæquatum: non quatenus in Filium hominis peccatur, sive per ignorationem veritatis Evangelicæ nescienter: sive per carnis infirmitatem invitè: sed *ἔκστασις*, post acceptam veritatis cognitionem, ideoq; scienter, volenter in ipsum Spiritum Gratiae effusum, testificantem tum verbo foris, tum lumine Gratiae intus, HUNC JESUM esse CHRISTUM, DEI Filium: & hunc esse TESTAMENTI SANGVINEM, per quem fuerant sanctificati, & quem in contumeliam Spiritus conculcant, & scientes volentes profanum ducunt;

## XVI.

Itaq; Spiritu Gratiae mendacii arguto, ex merâ malitiâ & odio veritatis agnitæ, non est adhuc hostia pro peccatis reliqua, *cum non sit aliud Nomen sub caelo, quod datum sit hominibus, per quod oporteat servari.* Acto. 4. 12. Proinde remissio nulla: nullus renovationi denuò ad resipiscentiam relinquitur locus: sed horrenda quædam iudicii (æterni) expectatio, & ignis zelus, qui devoraturus est adversarios. Matth. 12. 31. 32. Marci. 3. 28. Luc. 12. 10. Hebræ. 6. 4. 6. & cap. 10. 26. 27. 29. 1. Joh. 5. 16. 17.

## XVII.

Definimus igitur peccatum, sive blasphemiam in Spiritum sanctum, quod sit prolapsus contradictionis voluntariæ, adversus veritatem Evangelii, miraculis confirmatam, de fidei fundamento adæquato, post acceptam ejus notitiam commissus in Spiritum Sanctum, ex testificatione ipsius Spiritus per verbum antegressam; Unde & doctrinæ veræ persecutionem, & falsæ propugnationem scienter volenter susceptam, in fundamentalibus fidei ex odio veritatis in se continet: Quæ contumelia in Spiritum Gratiae effusa, simpliciter est irremissibilis, & resipiscentiæ expers, eò quòd Filius Dei conculcetur, & sanguis Testamenti,

per